An. et vol. XXXXI 6 Iunii 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Indictio Universalis Iubilaei a. 1950, p. 257 – Litterae Decretales, p. 262 – Litterae Apostolicae, p. 276 – Epistulae, p. 278 – Allocutiones, p. 283 – Nuntius radiophonicus, p. 294.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 297.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 298-304.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 7 - 6 Iunii 1949)

ACTA PII PP. XII

PAG.

Indictio Universali Iubilaei Anni Sancti millesimi nongentesimi quinquagesimi. - 26 Maii 1949 257

LITTERAE DECRETALES

Prophetica Isaiae verba. - Beato Ludovico Grignion de Montfort, Sacerdoti, fundatori Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Instituti Filiarum a Sapientia, sanctorum honores decernuntur. - 20 Iulii 1947 . 262

LITTERAE APOSTOLICAE

Paternum Cor Nostrum. - Sanctus Antonius Patavinus, Ecclesiae Universalis Doctor, caelestis Patronus Praefecturae Apostolicae de Siangtan in Sinis eligitur. - 13 Iunii 1947 . . 276

EPISTULAE

I. *Binnen kurzem.* - Ad Em̃um P. D. Michaëlem tit. Sanctae Anastasiae S. R. E. Presb. Cardinalem de Faulhaber, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem, octogesimum aetatis annum feliciter explentem. - 20 Februarii 1949 278

II. *Nous ne sommes pas.* - Ad Exc̃um P. D. Renatum Iosephum Piérard, Episcopum Catalaunensem, ob sacra sollemnia octavo impleto saeculo a consecratione eiusdem Cathedralis ecclesiae indicta. - 14 Maii 1949 . . 282

ALLOCUTIONES

PAG.

I. Ad Delegatos Sodalitatis, cui nomen « Union Internationale des Associations Patronales Catholiques », ob nonum Conventum internationalem Romae coadunatos. - 7 Maii 1949 . 283

II. Summus Pontifex magnificat sanctitatem Ioannae de Lestonnac, adstantibus christifidelibus qui Romam convenerant ad eius canonizationem celebrandam. - 17 Maii 1949 . . . 286

III. Ad novum Legatum Reipublicae Bolivianae. - 24 Maii 1949 291

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Ad christifideles ob Conventum Eucharisticum e tota Peruvia in urbe « Cuzco » coadunatos. - 15 Maii 1949 . . 294

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis:

Lublinen. - Nullitatis matrimonii (Druckà Lubecka-Potochi). - 28 Maii 1949 . 297

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Udienza solenne 298

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 298

Necrologio 304

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

ELEMENTI DI DOTTRINA CRISTIANA

PREGHIERE E FORMULE

Nuova edizione L. 15

PREGHIERA DELL'ANNO SANTO

con ritratto di S. S. Pio XII

An. et vol. XXXXI 6 Iunii 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

INDICTIO UNIVERSALIS IUBILAEI ANNI SANCTI MILLESIMI NONGENTESIMI QUINQUAGESIMI

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iubilaeum maximum, quod per proximi anni decursum hac in Alma Urbe celebrabitur, eo potissimum spectat ut christianos omnes non modo ad admissorum expiationem revocet emendationemque vitae, sed etiam ad virtutem sanctitudinemque assequendam, secundum illud: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester » (*Lev.*, X, 7; cfr. *I Petr.*, I, 16). Ex quo quidem facile cernitur quae quantaque sit antiquissimi huius instituti utilitas. Si enim homines hanc Ecclesiae vocem exaudierint, si a terrenis fluxisque rebus ad aeterna se converterint perpetuoque mansura, tum procul dubio optatissima illa habebitur renovatio animorum, ex qua non tantum privati, sed publici etiam mores christianis praeceptis christianoque afflatu conformabuntur. Siquidem cum recta vivendi ratio singulorum mentes permovet ac sincere efficienterque dirigit, tum necessario consequitur, ut nova quaedam vis atque impulsio universam attingat ac pervadat humanae consortionis compagem, quae ad meliorem felicioremque rerum or-

dinem revocetur. Atqui, si umquam alias, hodie potissimum necesse est Evangelii veritate virtuteque reformare omnia. Hominum nisus, quamvis sint laude digni, nec fallacibus moveantur rationibus, tantae huic rei impares tamen sunt; augusta solummodo religio, quae superno auxilio divinaque gratia innititur, tam grandem potest suscipere causam, eamdemque, actuose contendentibus omnibus, ad salutiferum exitum adducere.

Quamobrem vehementer optamus ut ubique terrarum sacrorum Antistites una cum clero cuiusque suo, commissum sibi gregem ea diligenter edoceant, quae ad proximum Iubilaeum maximum pertineant; eosdemque adhortentur ad illud aptiore, quo poterunt, modo participandum, sive Romam venire queant, sive domi permaneant; impensiores nempe preces ad Deum fundant; sanctae paenitentiae caritatisque opera multiplicent; ac cetera pro viribus agant, quae Nos, utpote peculiaria proposita per Annum Sacrum assequenda, iam occasione data enuntiavimus.

Itaque, iam nunc uberes salutaresque fructus mente praecipientes, quos supplici a Divino Redemptore poscimus prece, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, universale maximumque Iubilaeum hac in Alma Urbe a Natali Domini N. Iesu Christi, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono inchoandum, et ad Natalem Domini Nostri anno millesimo nongentesimo quinquagesimo finiendum — idque ad normam canonis CMXXIII — auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animorum salutem et Catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Hoc igitur piacularis anni decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et sacra Synaxi refecti, vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato, Basilicas S. Ioannis ad Lateranum, Vaticanam S. Petri, S. Pauli ad viam Ostiensem ac Liberianam in Exquiliis semel pie inviserint, atque ter preces *Pater Ave*

Gloria, semel praeterea *Pater Ave Gloria* ad mentem Nostram, et formulam *Credo* in unaquaque Basilica recitaverint, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam ac veniam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus.

Quae autem supra servanda ediximus ut plenissima Iubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel in ipso itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Synaxi refecti, indulgentiae remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus Basilicas reapse inviserint.

Decernimus praeterea iubilarem hanc indulgentiam a christifidelibus, cum sibi, tum vita functis, toties lucri fieri posse, quoties imperata opera rite perficiantur.

Quaenam vero, dilecti filii, sit in universum mens Romanorum Pontificum profecto non ignoratis; at quaenam sit, ad proximum Annum Sacrum quod attinet, peculiaris mens Nostra cupimus apertius clariusque vobis patefacere.

Per admovendas ad Deum supplicationes id imprimis imploretur, ut omnes precando paenitendoque sua quisque admissa expient, atque ad christianam morum emendationem ad christianamque virtutem ita contendant, ut hoc Iubilaeum maximum feliciter maturet universalem omnium ad Christum reditum. Idque praeterea est a Deo supplici petendum prece ut fidelitas, Divino Redemptori ab eoque conditae societati debita, inconcussa mente actuosaque voluntate ab omnibus retineatur; ut sanctissima Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias, insectationesque incolumia semper inviolataque serventur; itemque ut qui adhuc sint catholicae veritatis expertes, qui e recto itinere aberrent, ac vel ipsi infitiatores osoresque Dei superna luce collustrentur, ac flexanima gratia permoti ad Evangelii adducantur obtemperandum praeceptis; ut recte composita ac serena tranquillitas ubique terrarum, ac praesertim in sacris Palaestinae locis, quam primum constabiliatur; ut civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia

fraternaque concordia invicem coniungantur; ut denique indigentium multitudines e suo labore habeant, unde honeste vivant, atque ex largitate caritateque eorum, qui elatiore fortuna fruantur, necessaria opportunaque assequantur adiumenta.

Redeat tandem aliquando optatissima pax in omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; habeant « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » (Matth., V, 10) invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint quantocius patriam remeare suam; qui autem dolore maerorque anguntur, supernis reficiantur solaciis. Christiano pudore fulgeat ac christiana virtute floreat, vigescat animosa iuventus; eique in exemplum praeluceat provecta ac senilis aetas; omnes denique caelesti ea fruantur gratia, quae sit auspicium sempiternae adipiscendae in caelis beatitatis.

Iam nihil aliud, dilecti filii, reliquum est, nisi ut vos paterna invitemus voluntate ut Romam per piacularis anni decursum frequentissimi conveniatis; Romam dicimus, quae christifidelibus cuiusvis Nationis veluti altera patria est, ubi locum, in quo Apostolorum Princeps post factum martyrium conditus fuit, venerari queunt, ubi sacra martyrum hypogea, ubi templa praeclarissima, ubi avitae fidei avitaeque pietatis monumenta cernere possunt, ac communem Patrem visere, qui, brachia ad eos pandens, amantissimo animo eorum adventum praestolatur.

Novimus quidem itinera non omnibus expedita neque facilia fore; iis praesertim, qui tenuiore fortuna utantur atque in longinquis commorentur terris. Atsi, cum de terrenae huius vitae necessitatibus agitur, tantopere contenditur ut omne genus difficultates evincantur, cur omnino sperare non liceat futurum ut ingentes undique terrarum multitudines, nullis parcentes laboribus, nullisque perterritae incommodis, ad Almam hanc Urbem confluant, caelestia munera impetraturae?

Attamen, dilecti filii, eiusmodi peregrinationes non eorum

more suscipiendae sunt, qui delectationis causa iter facere solent, sed pientissimo eo animo, quo iam superioribus aetatibus christifideles cuiusvis ordinis ac cuiusvis gentis, aspera saepenumero commeatuum impedimenta exsuperantes, ac vel pedites, Romam petiere, ut paenitentiae lacrimis suas labes proluerent, ac veniam et pacem a Deo implorarent. Avitam hanc fidem actuosumque divinae caritatis ardorem exsuscitate, a ı-gete, in ceterosque infundite; atque ita, Dei Numine adspirante iuvanteque, fiet ut proximum Iubilaeum maximum et singulis, et universae christianorum consortic ni fructus afferat saluberrimos.

Ut autem hae Litterae Nostrae ad omnium notitia n facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiamsi prelo editis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesima sexta mensis Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die vigesimo-sexto Maii, festo Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pii Papae XII anno undecimo, praesentes Litteras Apostolicas in atrio sacrosanctae Basilicae Vaticanae, adstantibus Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium collegio, Rev. Camera Apostolica, Cancellariae Apostolicae officialibus, Rmo Vaticano Capitulo, confertoque populo, elata voce legi solemniterque promulgavi.

† Ego Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien. in Isauria,
Protonotariorum Apostolicorum Collegii Decanus.

LITTERAE DECRETALES

BEATO LUDOVICO MARIAE GRIGNION DE MONTFORT, SACERDOTI, FUNDATORI PRESBYTERORUM MISSIONARIORUM SOCIETATIS MARIAE ET INSTITUTI FILIARUM A SAPIENTIA, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Prophetica Isaiae verba: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus; misit me sanare contritos corde* (Luc. IV, 18), quae in Nazarethana synagoga Iesus Christus, mundi Redemptor, sibimet ipsi plene vindicavit, universis Eius discipulis, qui ad generis humani redemptionis opus usque ad consummationem seculi persequendum divinitus selecti sunt, iure merito aptari possunt; eximiis potissimum, inquimus, illis Evangelii praeconibus, qui, opere et sermone potentes, ac praesertim vitae sanctitate refulgentes, cum inter exteras gentes, nondum christiana luce collustratas, tum inter cives, impietate aliquando et vitiis obrutos, totis viribus incumbunt, ut animas Christo lucrifaciant et catholica religio maius suscipiat incrementum.

Quos inter praeclaros Dei apostolos procul dubio adnumerandus est Ludovicus Maria Grignion de Montfort, hodie a Nobis, Divino Sancto Spiritu afflatis, sanctitudinis honoribus decoratus, qui in Gallia, ubi, seculo Ludovici XIV Regis, licet omnia quae temporalia erant sole clariora fulgerent, omne quod aeterna spectabat *concupiscentia carnis* erat *et concupiscentia oculorum et superbia vitae, quae non est a Patre sed ex mundo est* (Ioann. II, 16); et Iansenii lues late per urbes grassabatur, totus innixus in Divinae Sapientiae consilio, et potentissimo Deiparae, Apostolorum Reginae, patrocinio suffultus, tam strenue tamque fructuose adlaboravit, ut per *stultitiam crucis* mundi sapientiam confunderet et ad meliorem frugem christianam plebem adduceret.

Ex honestis ille natus est parentibus, Ioanne Baptista Grignion, Advocato, et Ioanna Robert in Britanniae Minoris oppido *Montfort,* tunc intra fines dioecesis S. Maclovii, modo Rhedonensis archidioecesis, postrema die Ianuarii mensis, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, et sequenti die baptizatus in paroeciali ecclesia S. Ioannis, Ludovici nomen ei datum fuit; cui ex pietate, qua in Deiparam Virginem iam puer excellebat, dulce Mariae nomen postea sibi additum voluit.

Quartum aetatis annum agens, angelica ornatus puritate, iam de Deo et B. V. Maria loqui delectabatur, et, puerilibus spretis nugis, silentium et solitudinem praeferebat, diu in templis orare atque ad marialis rosarii recitationem aliaque pietatis officia incumbere cupiebat. Fratres parvasque sorores, coaevos pueros ad pietatis exercitia, munusculis etiam, alliciebat et coram Beatae Mariae Virginis imagine preces fundebat. Adhuc puer, dum discipuli partes diligentissime explet, sodales simul christianis rudimentis imbuebat, apostoli munus iam tunc amplexus. A piissima matre, quam afflictam interdiu consolabatur et ad patientiam hortabatur, egregie institutus, in Rhedonense collegium apud Patres Societatis Iesu a patre missus est, ut humanioribus litteris institueretur; ibique eximiam diligentiae ac pietatis existimationem sibi comparavit. Crescente aetate, virtutes etiam impensius coluit: egentibus condiscipulis opem ferre, etiam corrogata stipe, suescebat; in Beatissimae Mariae Virginis congregationem cooptari voluit, cuius quamdam pervetustam iconem S. Mariae V. Reginae Pacis pio cultu quotidie tunc invisere in Ecclesia Fratrum Carmelitarum malebat, ibi primum laetus persensit motum ad sacerdotium et ad marialem apostolatum. Spiritualibus etiam tunc conventibus apud pium sacerdotem Bellier, una cum sodalibus, quos secum adducebat, diligenter intererat; et ad nosocomia feriatis diebus pergens, reficiendis spirituali pabulo aegris, christianae cathechesi tradendae atque sordidiorum curandis corporibus sedulo incumbebat. Qui vero in alios huiusmodi fovebat caritatem, in suos etiam amoris vincula haud neglegebat; fratres namque suos litteris, virtutibus et pietate imbuere satagebat.

Rhedonibus philosophiae expleto curriculo, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio Lutetiam Parisiorum theologicis disciplinis operam daturus perrexit. Paupertatis amore, vestibus cum mendico quodam permutatis, pedes iter confecit precatoriam B. Mariae Virginis coronam prae manibus habens, rosarium saepe iteravit, minime caeli inclementia longique itineris asperitate deterritus, sed divinae tantum providentiae confisus.

In piae dominae domo primum exceptus ac postea apud S. Sulpicii Parochum D. de la Barmondière, in convictum, quem adulescentibus ad sacram militiam parandis ipse instituerat, cooptatus, per biennium ibi moratus est, et interea minores ordines suscepit. Parocho e vivis sublato, patuit Ludovico Mariae pauperrimum conturbennium D. Boucher; at brevi eius vires, iam fractas studiorum labore, nocturnis vigiliis, carnis afflictationibus, praeparcus victus et nimis onerosa officia ei credita plane contriverunt et iuvenem in gravissimam impulerunt aegritudinem; quare,

a parentibus disiunctus et omni ope ipse destitutus, in publicum exceptus est nosocomium, ubi patientia, animi hilaritate ceterisque virtutibus omnium sibi admirationem brevi conciliavit. Ut e morbo convaluit, in parvum seminarium S. Sulpicii exceptus fuit, ibique usque ad millesimum septingentesimum annum permansit; intereaque theologicis disciplinis assidue per annos septem laudabiliter incumbens, muneribus simul bibliothecarii, sacristae, caeremoniarum magistri et catechistae functus est; sed vitae potissimum sanctitate ad presbyteratum proxime recipiendum sese tremens lacrimisque perfusus humillime paravit, ad Carnutense quoque Deiparae sanctuarium peregrinatione praehabita. Eo anno, die quinta Iunii mensis sacerdotio auctus est, per manus Elnensis, vulgo Perpiniani, Episcopi, Ioannis Hervieu Basan de Flamenville, sui olim condiscipuli, recepto, et primum sacrum ad B. M. Virginis altare, quod ipse tanto ornavit amore, mirifica prorsus pietate et angelica puritate litavit. Eodem anno quo fuerat ad presbyteratum evectus, ad apostolicum ministerium paratus, sacris expeditionibus operam dare incepit et Septembri mense comitem se adiunxit nonnullis missionalibus sub pii sacerdotis Lévêque moderamine; quibuscum usque ad Februarium mensem sequentis anni in dioecesis Nannetensis oppidis susceptum ministerium exercuit; verumtamen vix ac animadvertit quosdam inter sodales ianseniana labe infectos esse, ab eorum societate se disiunxit.

Eleemosinarius hospitii Pictaviensis postea renunciatus, eximia in pauperum pietate enituit; non diu tamen ibi moratus est, quia etsi omnibus benefactor, multis tamen invisus, inde abire coactus est. Tunc Lutetiam reversus aliquandiu in nosocomio de la Salpêtrière pauperibus serviens, qui quinque fere millia erant, uberrimum suae caritatis pabulum invenit. Quinque circiter menses in eo hospitio permansit; sed eius agendi rationem aegre ferebant administratores aliquot, qui tandem eum rude donaverunt. Egressus ille apostolorum more pulverem e calceis excussit, et ad S. Sulpicii collegium confugit. Mandato hinc Parisiensis Praesulis ad Montis Valeriani Eremitas se contulit ad collapsam ibi disciplinam et pacem inter ipsos conciliandam; qui, eius monitis et virtutibus potissimum allecti, ad primaevam concordiam et vitae sanctitatem redierunt. Supplici dein pauperum et infirmorum voto iterum rogatus, in Pictaviense nosocomium, non mediocri animorum laetitia revertit. Nemo caritatis eius sollicitudini effugiebat, quae singulos peculiaribus complectebatur curis; quemque ad paupertatis amorem erudiebat, diligentissima cura quemque ad pietatem informabat.

Ibi interea, in animo habens novam instituendi religiosam sororum

familiam ad infirmos curandos, deinceps ad pueritiam quoque christianis fingendam scholis, prima in ipso hospitio fundamenta iecit Congregationis Puellarum a Sapientia, viginti circiter miserrimas ac maxime debiles et infirmas inter egenas virgines eligendo, quibus piissimam postea adiunxit puellam, Mariam Ludovicam Trichet, cuius animam ille moderabat, cuique habitum tradidit in festo Purificationis B. M. V. anni millesimi septingentesimi tertii; probe namque Ludovicus Maria noverat quod *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (1 Cor. I, 27); quod quidem cum facto praesenti et luculento comprobatur, quod florentissimam exhibet Congregationem, cui multa millia adhaeserunt piarum virginum, cum insigni Galliarum aliarumque nationum et christianae reipublicae emolumento. In Pictaviensi tamen nosocomio hac etiam vice diu permanere nequivit, probris maledictisque et administratorum aliquot invidia vexatus; patienti itaque animo xenodochium in perpetuum linquere coactus fuit.

Exinde Episcopo Pictaviensi suam exhibuit operam sacras expeditiones in eius dioecesi peragendi, quas, zelo et virtute mirandus, una cum uberrimis populorum fructibus absolvebat. Quibus in expeditionibus primum recepit Congregationis Missionalium, quam in animo iam habebat instituere, Fratrem Coadiutorem, dominum Maturin, quem exinde usque ad mortem habuit *comitem peregrinationis.* Sed in hoc quoque apostolico ministerio, cui tam impensam dabat operam, plurimas gravesque invidorum seu nequam hominum simultates, partim apertas, partim obscuras, sustinere debuit usque dum, Episcopi iussu, sacerdotale ministerium in dioecesi illa obire prohibitus fuit, et illinc excedere iussus. Tum Ludovicus Maria, apostolici cupidus laboris, qui, cum primum sacerdotalem adeptus est dignitatem, iam animo moliebatur apud infideles in dissitis eorum regionibus Evangelii lucem afferre, peregrinus, itineris labores et incommoda quasi in holocaustum Deo Optimo Maximo oblaturus, ineunte quadragesima anni millesimi septingentesimi sexti, pedes Romam petiit, Apostolorum sepulcra veneraturus, ut divina sibi voluntas pateretur. Itinere durante Lauretanum sanctuarium invisit, ibique aliquot dies moratus est, ac, mira pietate ad Mariae Virginis altare in sacro litando, magnam adstantium movit admirationem.

Romam cum pervenisset, vetusta eius monumenta et elegantissima bonarum artium opera invisere neglexit; sacra vero apostolorum limina adivit studiumque omne in id contulit ut Christi Vicarii conspectu et adloquio dignaretur. Humanissimus Praedecessor Noster Clemens Undecimus eum benigne excepit et illi, obsequentissime roganti veniam apud infideles gentes missiones agendi, divino motus instinctu, eum ad

Galliae potius quam ad barbarorum salutem curandam a Deo selectum fuisse respondit, et illi mandavit ut strenue bellum indiceret adversum Ianseniamam haeresim, in patria praesertim tunc serpentem; eumdemque titulo auxit missionarii apostolici sub Episcoporum dicione eique facultatem concessit nonnullas indulgentias impertiendi. In Galliam reversus pontificiis mandatis inhaerere perfecte studuit; pias antea peregrinationes instituit ad insignia B. Mariae Virginis Des Ardilliers in oppido *Saumur* et S. Michaëlis Archangeli in monte *S. Michel* et cum Deiparae, quam ardentissime diligebat, benedictione et patrocinio fretus militiae caelestis Principis, ad ministerium verbi se totum dedit, sacrasque expeditiones peragere aggressus est, a suae nativitatis dioecesi Rhedonensi incipiens, et per complures Galliae dioeceses, Nannetensem scilicet, Lucionensem, Rupellensem, Pictaviensem, Santonensem aliasque, et in omnibus homo Dei per urbes et pagos, per compita et nosocomia quoque apostolicum susceptum ministerium per decem annos usque ad mortem *in spiritu et virtute Eliae* prosequutus est, missionibus plusquam ducentis, amorem erga *Deum solum,* mundi et peccati odium, aeternae Sapientiae et Christi Crucifixi mysterium, nobilem ac sanctam erga Iesum et Mariam servitutem, inexhaustas Sancti Rosarii divitias praedicans, eo quidem successu ut pene innumeros peccatores, quamvis perditissimos, ad salutis tramitem, plurimosque haereticos ad Christi ovile perduxerit; oppidorum mores passim immutaverit, ac ianseniamam luem a clericis propulsaverit; quod quidem assequi potuit non tantum ignito verbo et sacra eloquentia, quibus excellebat, potissimum vero singularium fulgore virtutum, asperrimae paenitentiae exercitio, stultitia Crucis et potenti Immaculatae Reginae Cordium auxilio, cui fidenter innitebatur.

Ne autem uberrimi fructus, quos ubique in sacris quas supra memoravimus expeditionibus perceperat, perirent, sui operis perennitati providere voluit. Hinc ad missionum opus satius consulendum aliquot a divina providentia sibi oblatos sive clericos sive laicos, in primis sacerdotes Hadrianum Vatel et Renatum Mulot, praeter quem antea memoravimus Maturinum sibi copulavit; hinc novam instituit congregationem Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae nuncupatam, nomine quoque Sancti Spiritus ornatam, ad eum finem ut sodales ad Iesum per Mariam ducerent animas, cuius regulas anno millesimo septingentesimo decimo tertio, Rupellae in *Sancti Eligii* umbraculis ipse Fundator confecit, a Rupellensi Episcopo primum, a pluribus postea Episcopis adprobatas et confirmatas.

Alteram quoque perutilem ac saluberrimam Virginum congregatio-

nem instituit, cuius initium, evangelicum quasi granum sinapis, superius memoravimus; et illi *Filiarum Sapientiae* nomen indidit eidemque piissimam praeposuit puellam, Mariam Ludovicam Trichet. Huic item instituto, cui pauperum et aegrotorum curam atque christianam puellarum institutionem concredidit, idoneas et prudentia nitentes ipse regulas conscripsit; quas praefatus Rupellensis Praesul, utpote ad angelicas fingendas animas maxime aptas, eximiorum virorum iudicio expensas, rite adprobavit.

Alia quoque religiosa familia, florida sane et actuosa, suam possidet domum matrem prope sepulcrum sancti Ludovici, Institutum scilicet Fratrum Instructionis Christianae iam a Sancto Spiritu, postmodum a Sancto Gabriele nuncupatum. Huius quoque Instituti sodales Ludovici Mariae Grignion apostolicum zelum pro christiana iuventute instituenda imitari satagunt eumdemque tamquam suum dilectum patrem maxima prosequuntur veneratione.

Ut vero Missionum fructus stabiles in christiano populo permanerent, vix meminisse iuvat Ludovicum Mariam, praeter binas praefatas religiosas congregationes, pias in paroeciis sodalitates instituisse plurimas, confraternitates sub titulo Reginae Cordium militantes, quarum multae adhuc exstant; sacras aedes construxisse, templa non pauca reparasse, cruces seu *calvaria,* quae vocantur, veneranda pluribus locis erexisse, cantica sacra quoque de catholicae religionis mysteriis et in honorem B. Mariae Virginis composuisse, plurimaque scripta, spirituali refecta unctione, quae inter percelebris tractatus ille *De vera devotione erga Beatam Virginem Mariam* plurimi merito habetur; baptismalia vota saepe saepius renovandi usum invexisse; erga Apostolicam Sedem reverentiam et amorem in christifidelium animis insculpsisse, in vaferrimos iansenianae haeresis errores catholicae veritatis luce fortiter pugnando.

Inter tot autem et tanta divinae gloriae opera, ob tot tantosque in animarum salutem exantlatos labores, postremis suae vitae annis, Dei Famulus non bona coepit valetudine laborare; nihilo secius minime labori parcere voluit in sacris agendis expeditionibus; sed ultimo dum, solito succensus studio, missioni in vico S. Laurentii ad Separam dat operam, suum volens testari obsequium Episcopo, qui illuc advenerat, nobilissimam peragendo pompam una cum universo illius oppidi populo, viribus iam fractus, falsa pleuritide correptus fuit. Suum tamen implere voluit ministerium et fideles, qui innumeri aderant, ita coram ipso Episcopo in sermone de Iesu suavitate et mansuetudine allocutus est, ut ab omnibus lacrimas excitaverit. Statim vero a concione decum-

bere debuit; sed morbus, septimo die, sui zeli martyrem ad mortem impulit. Quidquid in hoc postremo vitae stadio gessit Dei Famulus, praeclara praebuit virtutum omnium exempla. Sanctitas namque, quae totam eius ornavit vitam, tunc praesertim se prodebat. Divinis placitis conformitatem miram inter morbi dolores patientiam, miram vultus hilaritatem, miram in Deum mentis elationem, miram contra tartarei hostis conatus constantiam; austeram poenitentiae virtutem, ita ut sui corporis macerationis instrumenta servare aeger voluerit et illa secum sepeliri mandaverit. Elata tandem voce missionalem canens canticum: *Eamus, carissimi, eamus in caelum, — hic quodvis sit lucrum — melius est caelum,* ecclesiae postremis sacramentis refectus, placidissime in osculo Domini obdormivit, aetatis suae anno expleto quadragesimo tertio, die nempe vicesima octava Aprilis mensis, anno millesimo septingentesimo decimo sexto. Vulgato mortis nuncio, immensa fidelium multitudo, non paroeciae tantum S. Laurentii, sed finitimarum quoque et e dissitis etiam locis ad exuvias visendas turmatim convenit, et omnes sanctum Patrem mortuum esse ingeminabant; ad funus vero hominum millia plus decem confluxisse traditum est, quos inter plurimi sacerdotes et parochi extrema illi officia persoluturi, cuius viventis eximiam toties virtutem et sanctitatem suspexerant. Compluribus quoque gratiis funeris nobilitatem Deus auxisse fertur, quibus rependere voluit fiduciam a fidelibus in Servi sui patrocinio simulque huius gloriam testari.

Fama Dei Famuli sanctitatis, quae dum viveret tot tantaque inter obtrectatorum convicia semper floruit, post eius obitum per universam Galliam magis in dies diffusa est; eo vel magis quod prodigia quoque a Deo ferebantur patrata illius invocato suffragio. Quamobrem instructis auctoritate ordinaria in dioecesi Lucionensi processibus, iisque probatis, fel. rec. Decessor Noster Gregorius Sextusdecimus in pervigilio Nativitatis Deiparae anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo propria manu signavit Dei Servi Ludovici Mariae Grignion Commissionem Introductionis Causae. Expeditis dein remissionalibus litteris, Processus conditi sunt Apostolici in eadem Lucionensi dioecesi; quorum validitate sancita, dubium, iuxta probatum morem, a S. Rituum Congregatione de Virtutibus Ven. illius Dei Famuli in gradu heroico exercitis agitari coepit, atque praemissis consuetis Congregationibus Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum, rebusque omnibus mature perpensis, s. m. Pius Papa Nonus, ad se accitis cl. m. Cardinalibus Constantino Patrizi, S. Congregationis Rituum Praefecto, et Nicolao Clarelli-Paracciani, Causae Relatore, in privato Vaticani Palatii sacello, die vicesima nona Septembris mensis, S. Michaëli Archangelo sacra, anno

millesimo octingentesimo sexagesimo nono, in nobiliori eiusdem Palatii Aula, adstantibus quoque Dominico Bartolini, S. Rituum Congregationis a Secretis, et Petro Minetti, S. Fidei Promotore Generali, solemniter edixit Ven. Servi Dei Ludovici Mariae Grignion de Montfort virtutes tum theologales tum cardinales earumque adnexas heroicum attigisse gradum, ita ut procedi posset ad discussionem quatuor miraculorum, in casu et ad effectum de quo agebatur.

Inter splendidas a morbis sanationes, quibus divina Omnipotentia Venerabilis Ludovici Mariae sepulcrum gloriosum reddidit, quatuor ad eiusdem Dei Servi Beatificationem obtinendam requisita miracula, ad illius invocationem patrata, selecta sunt; de quibus consueta iudicii severitate quaesitum est in S. Rituum Congregatione iam a duodecima Iunii mensis die anni millesimi octingentesimi septuagesimi tertii; ac tandem die vicesima Februarii mensis, triennio post, fel. rec. Leo Tertiusdecimus, Praedecessor Noster, solemni Decreto edixit: *Constare de quattuor propositis miraculis, intercessore Ven. Ludovico Maria Grignion a Deo patratis,* nimirum de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis adolescentulae Reginae Malle a coxalgia, cum spontanea dexteri femoris luxatione;* de secundo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis a S. Lino e Puellis Sapientiae a medullite chronica;* de tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis a S. Gabriele a lethali pulmonum phthisi, tumori cystico adbominali et cardiaco vitio coniuncta;* ac de quarto: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Emmanuelae a spinali hemiplegia.* Eodem anno, die quinta et vicesima Maii mensis, in generali conventu coram eodem Sanctissimo Praedecessore Nostro habito, unanimi consensu adstantes omnes Cardinales eumdem Venerabilem Dei Famulum inter Beatos tuto recensendum esse existimaverunt ac tandem idem Praedecessor Noster Novembris mensis die vicesima prima solemniter decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famuli Ludovici Grignion de Montfort Beatificationem.* Cuius solemnia ob temporum condicionem in Aula Superiori Porticus Basilicae Vaticanae celebrata sunt die vicesimasecunda Ianuarii, anno millesimo octingentesimo octogesimo octavo sacerdotii memorati Leonis Tertii Decimi iubilari anno recurrente.

Post autem indultam Ludovico Mariae venerationem adeo in dies increvit in novensilem Beatum cultus et pietas fidelium, in pluribus praesertim Galliae dioecesibus, ut nova ad eius invocationem et intercessionem prodigia a Deo operata dicerentur. Quare, instante Huberto Maria Gebhard, Instituti Missionariorum Societatis Mariae et Filiarum Sapientiae procuratore generali et Causae sollerti Postulatore, fel. rec.

Pius Papa Undecimus Causae reassumptionis Commissionem, ad Beati illius Canonizationem obtinendam, sua manu signare dignatus est die quarta decima Martii mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo octavo.

Super duabus itaque sanationibus, quae miraculi characteres ferebantur habere, Beati Ludovici Mariae intercessione ab Omnipotenti Deo obtentis, in episcopalibus Portusmuthensi et Lucionensi Curiis constructi sunt processus apostolica auctoritate; quorum vis a S. Rituum Congregatione die prima Februarii anni millesimi nongentesimi trigesimi noni recognita fuit. Brevis utriusque sanationis historia haec est: Soror Gerarda a Calvario a gravissima tuberculosi ulcero-caseosa pelviperitonaeali cum duabus fistulis sanie manantibus, nec non pulmonari bilaterali fuit attacta; qui morbus fere ad mortem eam adduxerat, adeo ut morientium sacramentis fuisset roborata. Medicae artis remediis incassum cedentibus, B. Ludovici Mariae patrocinium fervide fuit imploratum. Die octava Aprilis anni millesimi nongentesimi vicesimi septimi, medicus, matutinis horis eam invisens, morientem, ut sub iuramento testatus est, invenit. Post meridiem vero in instanti ea sanata est; post biduum autem ad pristina, immo graviora rediit officia, atque in recuperata, meliori quam antea, valetudine perseveravit, uti duo periti physici post triennium a sanatione testati sunt. Miraculum sine ulla haesitatione non solum tres periti a S. Rituum Congregatione adlecti agnoscunt, sed etiam apertissimis verbis medicus a curatione, non catholicus, sub iuramenti vinculo fassus est.

Altera mira sanatio ita evenisse traditur: Soror Maria Teresia a Visitatione, Lesage, cuius diathesis erat indubie tubercularis, non solum quia in familia morbidum hoc germen virebat, sed etiam quia ipsa ab infantia tuberculosi laboraverat, Iunio mense, anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto, tuberculari meningitide fuit affecta, quae diagnosis a tribus medentibus fuit sine haesitatione edicta, confirmata vero a tribus peritis, quos S. Rituum Congregatio delegit. Qui omnes in edenda certo lethali prognosi concordes erant. Iamvero cum nulla naturalis sanationis spes affulgeret, ardentes ad Deum preces elatae sunt, ut per B. Ludovici Mariae intercessionem, sanitatem infirmae sorori dignaretur concedere. Nec spes orantes fefellit. Etenim vespertinis horis diei vicesimae quartae Iunii infirma extemplo magna voce loqui valuit, vividamque et actuosam se ostendit, perfecte vero sanatam intra biduum se sensit. Sanationem perseverasse sequenti anno, Novembri mense, physici periti deponunt; miraculum intervenisse tum tres a curatione medentes, cum tres ex officio periti edixerunt.

Servatis de iure servandis, de utraque hac sanatione in triplici iudicii sede, districte, uti de more, disceptatum est ac tandem Nos, undecima die Ianuarii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis, a Deo per Beati Ludovici Mariae Grignion a Montfort intercessionem patratis,* videlicet: *de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Gerardae a tuberculosi bilaterali pulmonari et ulcero-caseosa pelvi-peritonaeali, tum Sororis Mariae Teresiae a Visitatione, Lesage, a meningitide tuberculari.*

Ut autem omnia, quae a sacris canonibus ad solemnem Canonizationem obtinendam requiruntur, servata fuisse authentice constaret, in Generali S. Rituum Congregatione coram Nobis habita, die septima et vicesima Ianuarii mensis eiusdem anni, dubium propositum fuit a dilecto Filio Nostro Raphaële Carolo S. R. E. Cardinale Rossi, Causae Ponente seu Relatore: an, stante approbatione duorum quae supra narravimus miraculorum, *tuto* procedi posset ad solemnem Beati Ludovici Mariae Canonizationem. Cui dubio tum Patres Cardinales, tum Officiales Praelati et Consultores unanimiter *affirmative* responderunt. Nos vero Nostram edere sententiam distulimus, ut ad Sanctum Divinum Spiritum interim preces fundentes, Eius illustratione de edicenda sententia doceremur. Anno autem millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, die vicesima prima Maii mensis ad Nos accivimus praefatum Cardinalem Raphaëlem Carolum Rossi, Causae Ponentem, atque venerabilem Fratrem Carolum Cardinalem Salotti, S. Congregationis Rituum Praefectum, necnon dilectos Filios Alfonsum Carinci, eiusdem S. Congregationis a Secretis, et Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem; atque, sacrosancto Missae Sacrificio litato, ediximus: *Tuto procedi posse ad sollemnem B. Ludovici Mariae Grignion Canonizationem.*

Veneranda vero Praedecessorum Nostrorum vestigia sequuti, S. R. E. Patres Cardinales ad decimam Martii mensis diem, vertente hoc anno, in Consistorium secretum apud Nos convocavimus, eorum sententiam rogaturi. In quo Venerabilis Frater S. R. E. Cardinalis Carolus Salotti, S. Congregationis Rituum Praefectus, disertum sermonem habuit de vita, gestis et miraculis Beatorum Iosephi Cafasso, Ludovici Mariae Grignion de Montfort, Michaëlis Garicoïts, Nicolai de Flüe et Beatae Catharinae Labouré, et acta singillatim recensuit, quae in Causis beatificationis et canonizationis eorumdem Beatorum Sacra Rituum Congregatio, praevio districto examine, admisit et adprobavit; qua relatione expleta, Nos adstantium Patrum Cardinalium singillatim vota exquisivimus, quae singuli stantes apertoque capite reddiderunt. Secreto Consistorio pera-

cto, mox Consistorium publicum habuimus pro solemni eorumdem Beatorum Canonizationis peroratione; quam pro Beato Ludovico Maria Grignion dilectus Filius Franciscus Xaverius Parisi, Aulae Consistorialis Advocatus, ornato sermone peregit, Nobisque, una cum aliis Aulae Consistorialis Advocatis, enixas obtulit preces ut ad optatas Canonizationes quam citius deveniremus. Nos vero, etsi valde avere diximus oblatis petitionibus et votis concedere, verumtamen, ut omnia translaticio more agerentur, non ante inerrantem sententiam Nostram laturos inquimus quam in Consistorio *semipublico,* quod nuncupatur, omnes Patres Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi, qui Romae adfuturi sint, suam quisque Nobis mentem patefecerint; interea adstantes omnes adhortati sumus ad Deum Patrem luminum preces admovere, ut uberius Nobis ad gravissimam huiusmodi Causam decernendam lumen e supernis sedibus impetrarent.

Commentarios itaque de uniuscuiusque illorum Beatorum vita, gestis et miraculis, nec non de actis in ipsorum Causis ad quemque praefatorum Cardinalium et Antistitum transmittere mandavimus, quo facilius cuique res explorata ac cognita esse posset, antequam suam quisque liberam Nobis sententiam religiose aperirent. Istud autem Consistorium semipublicum in Palatii Apostolici Vaticani consueta Aula habitum est die decima septima Aprilis mensis proxime elapsi; in quo venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales iterum et omnes adstantes Antistites primum allocuti, singulorum dein eorum sententiam exquisivimus; et admodum gratulati sumus omnes Nobiscum consentire Beatis illis supremos sanctitudinis honores, per inerrantem sententiam Nostram, Deo adspirante, decernendos esse. Quapropter deliberatum Nobis esse inquimus solemnes Canonizationis ritus in Petriana Basilica proximis mensibus peragere: atque placuit singulis caeremoniis tempus praestituere; Beato autem Ludovico Mariae Grignion de Montfort hanc diem, vicesimam nempe Iulii mensis, Deo propitio, Sanctorum coronam decernere statuimus. Interea adstantes omnes Venerabiles Fratres rogavimus ut suas Nostris coniungere preces dignarentur, ut quae iam tunc praestolabamur, fausta ac salutaria catholico nomini evenirent. De quibus omnibus ut iuridica acta conficerent, dilectis Filiis adstantibus Protonotariis Apostolicis mandavimus.

